

De figura, quae dicitur *ἀπὸ κοινοῦ*, cum alii alia statuerint, ne nomine parum intellecto natura ac ratio rei minus perspiciatur, ita mihi videor aptissime quaerere, ut a veterum grammaticorum de ea testimoniis proficiscar. Ac Phoebammon, apud Spengelium, Rhet. gr. vol. III p. 43, dicit: *Ἀπὸ κοινοῦ δὲ ἐστὶ λέξις, ἅπαξ μὲν λεγομένη πολλάκις δὲ νοουμένη καὶ συντασσομένη ὥς ἵνα τις εἴπῃ· ἀπελθὼν ἤτησα τοὺς ἄνδρας μάλιστα τόνδε καὶ τόνδε.* Herodianus haec habet (l. c. p. 94): *Ἀπὸ κοινοῦ μὲν ἐστὶ λόγων συνέχεια ἐν διανοίᾳ κοινωνοῦσα ὥς ἐπὶ τὸ πλεῖστον ἑνὸς ῥήματος εἰς συντέλειαν, οἷον· καὶ ἐλλίσσετο πάντας Ἀχαιοὺς, Ἀτρεΐδα δὲ μάλιστα δίῳ (sic) κοσμήτορι λαῶν.* — (Tiberius (l. c. p. 76): *Τὸ δὲ ἀπὸ κοινοῦ οὕτως· καὶ τῷ μὲν Εὐβαίῳ τῷ τὸν Βοιωτὸν ἀποκτείναντι πολλὴν συγγνώμην ἔχω· δοκοῦσι δὲ μοι καὶ τῶν δικασάντων τότε πολλοί.* — Similia Georgius Choeroboscus *περὶ τρόπων* (l. c. p. 256) profert, atque Apollonius Alexandrinus de constructione p. 122, in enuntiato: *καὶ Διονύσιος περιπατεῖ καὶ Ἀπολλώνιος* — ad utrumque nomen proprium verbum referendum esse dicit.

Eustathius in scholiis ad Iliadem cum aliis permultis locis nomine figurae *ἀπὸ κοινοῦ* utitur, tum de eius natura uberius disseruit ad Ξ v. 192, ubi haec leguntur: *ὁρῶν μὲν γὰρ καὶ σαφεὲς ἀπὸ κοινοῦ σχῆμα τό, οὐποτ' ἐμὰς βοῦς ἤλασαν οὐδὲ μὲν ἵππους, καὶ ὅσα τοιαῦτα. Τὸ γὰρ προλαλῆθὲν ῥήμα ὕστερον δεχόμεθα ἐκ κοινοῦ. Τὸ μέντοι· οὐνεκα (sic) ἐγὼ Ἀναοῖσι, σὺ δὲ Τρῶεσσιν ἀρήγεις, διάφορόν ἐστι τῇ ἐξαλλαγῇ ὥς τοῦ ἀκροατοῦ παραδοκοῦντος, πότε ἂν τὸ κοινὸν ῥήμα ἀποδοθῇ.*

Itaque ipsis exemplis, quibus grammatici hanc figuram illustraverunt, docemur, *ἀπὸ κοινοῦ* dici solere, si quod verbum (*ῥήμα*) et suo loco positum sit et continuata structura subaudiendum. Nec vero temere Herodianus addidit *λόγων συνέχεια ἐν διανοίᾳ κοινωνοῦσα ὥς ἐπὶ τὸ πλεῖστον ἑνὸς ῥήματος εἰς συντέλειαν*, nam latius patere rem manifestum est vel ex iis quae leguntur apud Stephanum s. v. *κοινός*: *Ἀπὸ κοινοῦ* usitatissimum grammaticis ut Apollon. De synt. *Ἀπὸ κοινοῦ λαμβάνουσιν ἢ ὄνομα ἢ ῥήμα.*

Inter recentiores grammaticos Godofredus Hermannus in libro, qui inscribitur De ellipsi et pleonasmo, cum de nonnullis schematis ἀπὸ κοινοῦ exemplis disputaret, quamquam nomine ἀπὸ κοινοῦ usus non est, tamen ellipsi in eis locum esse recte negavit. Item Bernhardys (Synt. ling. Gr. pag. 42) de rhetorica quae dicitur ellipsi pluribus egit. Et secuti sunt hi quidem viri docti veteres grammaticos, qui cum verbo λείπειν vel ἐλλείπειν significasse satis haberent aliquid omnisum esse, non curabant aliud esse vocem prorsus omittere, aliud eam ex posita voce animo supplendam omittere. Vidit autem hoc Mehlhornus, vir doctissimus, ac lucem attulit huic rei clariorem, cum programmati Glogaviensi a. 1833 disputationem addidit inscriptam: Schematis Ἀπὸ κοινοῦ ratio et usus quidam in Graeca lingua. Hac disputatione sagacissime exogitata vim ac naturam figurae optime explicatam esse omnes fere, qui quidem isti libello operam dederunt, viri docti consentiunt. Nec impune neglexerunt duumviri, qui hanc rem nuper tractaverunt, quae disseruerat magister Glogaviensis. Neque enim Ernestus Mueller, qui „De figurae, quae dicitur Ἀπὸ κοινοῦ, usu apud Horatium“ in dissertatione inaugurali Halensi a. 1862, nec Koldewei, qui de huius figurae usu apud Catullum Tibullum Propertium Horatium (Zeitschrift f. G. W. vol. 21) scripsit, de Mehlhorno noverant nisi nomen (neque hoc quidem recte). Quid quod iis accidit, ut quid velit illud ἀπὸ κοινοῦ et quam late pateat, non intellexerint, cum uno figurae genere, cuius exempla frequentissima sunt et facillima ad intellegendum, totam rem contineri sibi persuadeant. Contra Kühner, Gr. Gr. II pag. 1066, accuratius Mehlhorno auctore figuram ἀπὸ κοινοῦ ita explicat: Die meisten Fälle der Brachylogie beruhen auf der Redefigur, welche die alten Grammatiker ἀπὸ κοινοῦ nennen, die überall da stattfindet, wo ein oder mehrere Wörter ganz oder theilweise in derselben oder in einer andern Form aus dem Vorhergehenden oder Folgenden entnommen oder ergänzt werden können. — Praeterea hanc figuram obiter tetigerunt alii viri docti, quorum nomina suo loco proferam; ipse quae de ea animadverti haec sunt:

Ἀπὸ κοινοῦ suppletur, cum vox quaedam, ne bis vel saepius ponatur omittitur, si

1. a. eadem eiusdem vocis forma vel posita est vel infra eam poni in animo fuit. Velut „Pollicetur L. Piso, sese iturum ad Caesarem, item L. Roscius“ vel „Sese iturum ad Caesarem L. Piso, item L. Roscius pollicetur“.

b. alia quaedam eiusdem vocis forma, vel numero vel casu vel genere vel persona diversa, aut praecessit aut sequitur, veluti „Universos in concione laudat, atque gratias agit“. Hoc frequentissimum genus, quod Rufianus de schem. lex. (apud Halm rhet. min) conceptionem vocat, apte nominari potest — Syllepsis. Aliquanto durius nonnunquam.

2. non eadem quae praecessit, vel quae sequitur, sed similis quaedam sequitur. Veluti in versu Homérico: „ἔδουσί τε πίονα μῆλα οἶνόν τ' ἔξαιον“ ex voce ἔδουσι facilius suppletur similis notio πίνουσι, vel in enuntiato „Macedones Alexandrum non ut civem, verum ut hostem amissum gaudebant“. In priore membro supplenda esse verba „amissum lugebant“ nemo non videt. Quo dicendi genere cum bina enuntiata in unum contrahantur, bene excogitaverunt grammatici Graeci nomen ζεύγμα vel ἐπεξεγμένον, Romani adjunctio (Cornif IV 27) vel nexus (carm. de fig. apud Halm rhet. lat. pag. 69). — Illud vero non neglegendum est, figuram ἀπὸ κοινοῦ latius patere quam quae zeugma vocatur, cf. Gerber, Die Sprache als Kunst I. p. 504 et Volkmann Rhetorik. p. 405. Qua de re ut moneam eo magis adducor, quo saepius grammaticis accidit, ut utrumque genus dicendi confunderent. Quid quod iidem saepissime syllepseos exempla ita expediverunt ut zeugma subesse contenderent aliaque multa, quae ad brevitatē dicendi spectant

artificia promiscue statuere posse sibi viderentur. Itaque factum est ut mira quaedam de his figuris dissensio oriretur inter viros doctos et antiquae aetatis et nostrorum temporum, velut iidem versus Hom. Iliad. I. 580

*εἴπερ γὰρ κ' ἐθέλῃσιν Ὀλύμπιος ἀστεροπητής
ἐξ ἐδέων στυφελίξαι, ὃ γὰρ πολὺ φέρτατός ἐστιν,*

a Faesio per brachylogiam, ab Ameisio per aposiopesin, a Passovio (Lex. 5 pag. 782) et Naegelsbachio (adv. ad. h. l.) per ellipsin intelleguntur.

Itaque cum apareat, nisi diversissima inter se breviter dicendi genera probe distineantur, nihil profici, priusquam ad rem accedamus sui cuique figurae fines circumscribendi sunt neque illud praetermittendum, quod Quintilianus docuit Inst. orat. IX. 1. 14, figuram esse arte aliquam novatam formam dicendi.

Atque ellipsis est omissio vocabuli necessarii quidem ad integritatem structurae, at non necessarii ut sententia integra intellegatur. Saepissime enim fit, ut in manca — si grammaticam legem respexeris — structura planissima sit sententia neque quidquam desiderare sibi videatur auditor vel lector, quoniam in quotidianae consuetudinis usum abierunt plurima id genus dicendi exempla. Contra grammaticus, cum rem ad grammaticam integritatem, quae postulat, ut cuiusque enuntiati membra omnia ac plene dicantur, revocare vult, aliquid deesse notabit. Velut haec: „Habitabat rex ad Jovis Statoris“ vel „manum de tabula!“ adeo erant vulgata atque ipso usu trita Romano homini, ut neque desideraret quidquam et plane intelligeret, quid ageretur; audienti igitur non minus quam dicenti ipsa res ac sententia erat integra, non integra grammatico. Probe igitur tenendum est, ellipsin neque esse nisi cum desideretur verbum aliquod ad explendam structuram necessarium, vel vox „aedem“ suppletur (sc. a grammatico) si quis dixerit „habitabat ad Jovis Statoris“, neque fieri posse, nisi cum ipso usu commendetur. Nec vero minus quam quae ex communi omnium usu profecta est ellipsis ferri poterit ea, quae ex propria cuiusque sive poetae sive scriptoris natura atque indole prodierit aut sua sponte nata aut consulto admissa, ut rhetoricae illa quidem consuetudini tribuenda sit. Longe autem aliam esse ellipsin, aliam, ad quam transituri sumus, structuram quae dicitur ἀπὸ κοινοῦ vel inde patet, quod in hac non deest verbum, sed adest, ita tamen adest, ut aut semel positum bis terve sit intellegendum, aut ex simili vel forma vel voce similis forma vel vox supplenda sit. Hac in re fieri potest, ut cum ex legibus grammaticis omnia integra sint, ex sententia vocabulum quoddam, velut adiectivum vel adverbium, supplendum sit, quod cum non necessarium sit ad integritatem structurae, suppleri non potest si prorsus est omisum i. e. cuius ellipsis omnino non ferenda est; at quis dubitet, quin et tale quoddam in animo eius qui dicit valere possit, quamquam vel in semel dictis acquiescat, vel, cum animus iam ad sequentia praevolet, ea omittat, omissa in sequentibus ponat? Et hoc quidem aut ex usu et consuetudine dicendi fieri potest, aut consulto ac artificiose, ut orationis brevitatis ac gravitatis augeatur.

Sequitur, ut de eo dicendi genere agam, in quo, quamquam, grammaticam legem si spectaveris, supplendum sit nihil, ipsa tamen res doceat, in unum contractas esse duas sive voces sive notiones, quarum altera ex iis quae praecedunt, arcessenda sit, veluti quod in Iliade est P. 51. *κόμαι χαρίτεσσιν ὁμοῖαι*, apparet dictum esse pro *κόμαι χαρίτων κόμαις ὁμοῖαι*. Hoc unum genus, quo magis seiungerent a grammatica ellipsi, fuerunt qui brachylogiam vocarent, cf. Ad. Fr. Akeni, patris mei, grammaticam graecam § 409, qui tamen, quod *κόμαι ὁμοῖαι χαρίτων* per ellipsin dici monuit, id solum egit, ut quid differant ellipsis et brachylogia eodum exemplo illu-

straret. Nam si apud Homerum legeretur *κόμαι χαρίτων ὁμοῖαι*, genetivus non penderet a vocabulo extrinsecus supplendo (si quis dixerit *εἰς Ἄιδον ἵέναι* extrinsecus suppletur *δόμον*) sed a vocabulo antecedente *κόμαι*, quod per figuram *ἀπὸ κοινοῦ* dativo casu subauditur.

Iam vides, quid intersit inter brachylogiam et schema *ἀπὸ κοινοῦ*: illa structuram semper praebet integram, hoc sive integram sive mancā; illa duas notiones in unam contrahit praetermissa ea, quae est levior, veluti levior est tota re particula, hoc vocem, quae semel posita est, aut eandem supplere iubemur aut similem ex ea subintelligere. Restat, ut aposiopesis moneam quomodo seiungenda sit a figura nostra. Est autem aposiopesis tum statuenda, cum oratio consulto abruptitur et tacetur id quod quale sit dubium non est. Cuius frequentissimae apud poetas non minus quam oratores figurae supersederem afferre exemplum, quale est notissimum illud Vergilianum „Quos ego—“, nisi alius quidam huius figurae usus, qualem praebet Aristoph. in Ran. v. 1471

ἡ γλῶττι' ὁμομοχ', Αἰσχύνων δ' αἰρήσομαι.

accederet accuratius tractandus. Cum enim appareat, si quis exclamet Quos ego—, eum non satis facere legi grammaticae, ut qui plane omiserit apodosin, tamen ipsa sententia adeo expletur vi rhetorica, nemo ut quidquam desideret. Contra si spectaveris locum Aristophanis notissimum in Ranis 1471, nihil iam requirit grammatica lex, cum addita sit apodosi: nihilo tamen minus in eo quoque latet aposiopesis, quoniam ipsa proteseos sententia subito ita abruptitur, ut aliunde suppleri debeat. Nam pro eo quod expectabatur *ἡ δὲ φρενὶν ἀνώμοτος* (Eurip. Hippol. 612) per iocum poeta sic pergit: *Αἰσχύνων δ' αἰρήσομαι*. Itaque cum per schema *ἀπὸ κοινοῦ* ex iis, quae antecedunt aut sequuntur, aliquid suppletur, aposiopesi locus non est nisi ubi concitata oratione lectoris animus ita commotus sit, ut ex ipso illo animi affectu suppleat quae desiderantur.

Quae cum ita sint quae tractavi *ἐνδείας* grammaticae genera quo facilius distinguantur brevi in conspectu apposui:

Brevitas dicendi continetur		Structura est	Quod deest subintelligitur
in ellipsi:	omissione verbi.	manca.	ex usu dicendi.
in brachyl.:	verbo praegnanter posito.	integra.	—
in aposiop.:	oratione abrupta.	manca (nisi ubi aliud quoddam artificium rhetoricum accedit).	ex animi affectu.
in α. κ. schem.:	verbo saepius cogitato semel posito.	sive manca sive integra.	ex verbis, quae praecedunt aut sequuntur.

Qua in tabula non vereor nequis miretur, quod cum structurae mancae suum locum tribuerim, sententiae mancae locum tribuere nolui. Sententia enim omnino nunquam manca esse

potest nisi per vitium scriptoris, sed quamvis manca sit structura, plene exprimitur, ut quidquid scriptor significari voluerit a lectore probe intellegatur.

Iam redeamus ad versus Homericos: *εἴπερ γὰρ κτλ.* Apparet brachylogiae (nisi forte tam late patere volueris hoc nomen, omne ut breviter dicendi genus eo contineatur) non esse locum in hoc anantapodoto, quoniam aut legem grammaticam laesam esse concedendum est, quae suam cuique protasi efflagitet apodosin, aut sententiam non esse absolutam, ut quae alia sit in protasi, alia in apodosi. Nec vero aposiopesin apte statueris, quoniam quod exspectatur ab audiente non tacetur, sed sequitur, quamquam mutata constructione, nihiloque magis ellepsin, quoniam non prorsus ea desunt, quae desiderantur, sed latent in verbis *πολύ φέρτατός ἐστιν*. Quid enim aliud vult illud *ὁ γὰρ πολὺ φ. ἐ.* nisi *πάντα γὰρ δύναται*, ut sententia haec sit: Si Jupiter fulmina in nos emittere volet, poterit, nam omnia potest. cf. Paraphr. ad h. l. ac Passovium l. l., qui cum *δυνήσεται* supplet, recte quidem locum explicat, cum autem dicit hoc fieri per ellipsin, non vidit hunc „ellipticum usum“ esse figuram *ἀπὸ κοινοῦ*. Verbum enim, quod bis ponendum erat, semel ponitur, structura quidem laesa. Ab hoc anantapodoto alia sunt discernenda, in quibus vel ellipsis vel aposiopesis statui potest, velut ellipsis Z150, ubi *ἄκουσον* vel *λέγω σοι* ante *ἔστι πόλις κτλ.* sponte se praebebat. Apodosi ubi non per se intellegitur nec ex positis verbis suppleri potest, sed consilio quodam omittitur, ut ex affectu gravius sentiatur, aposiopesis statuenda est velut A.135.

Iam videamus, qui loci apud Catullum Tibullum Propertium poetas ad nostrum spectent *ἀπὸ κοινοῦ* schema. Disputatio autem haec facillime dividitur in partes duas: altera aget de vocibus ex iis quae praecedunt, altera de vocibus ex iis quae sequuntur repetendis. Cum autem appareat multo facilius suppleri quae iam dicta sunt, quam antecapi quae sequantur, eamque ob rem longe maiorem esse numerum prioris generis, quod fere in quotidianam consuetudinem abiit, exemplorum: ex hisce sufficiat attulisse quae memoria digna sunt.

Itaque cum primum agendum sit de vocibus ex iis quae praecedunt *ἀπὸ κοινοῦ* supplendis, apte videmur a verbi usu proficisci posse, quo totius sententiae vis nititur ac continetur omisssaque eorum exemplorum multitudine, quae ad communem normam accedunt, eos locos proferemus, quibus aut idem verbum vel durius supplendum sit, vel ab eo diversae constructiones pendeant (cf. Quintil. Inst. orat. IX 3. 62.) aut simile quoddam verbum ex praecedente suppleatur.

Idem verbum durius supplendum omisit Tibullus I 3¹ (numeris utor L. Muelleri editionis Teubn.):

Ibitis Aegaeas sine me Messala per undas,

O utinam memores ipse cohorsque mei:

ubi alterum colon supplendum est praedicato „eatis“, et conferendum Cic. ep. ad Fam. XII 25, 10: quam (navem) quidem nos damus operam, ut rectam teneamus, utinam prospero cursu. Apud Propert. II 1⁴⁴:

Enumerat miles volnera, pastor oves,

Nos contra angusto versantis proelia lecto.

nihil nisi „enumeramus“ ad „nos contra etc.“ supplendum esse puto, quo iocose poeta pro verbo canendi usus est. Neque abstinuit hoc verbo Vergilius Aen. IV 334 „ego te, quae plurima fando enumerare vales“. cf. tamen Hertzberg ad h. l. III p. 84.

Tib. IV 1³⁶ Undique quique canent vincto pede quique soluto.

Dissenius in hoc versu praedicatum „canent“ per zeugma etiam ad historicos translatum esse contendit. Ego quidem puto de poetis solis dici, quoniam vincto pede canere non minus

poetarum est, quam soluto, cf. quae Graeci vocabant *ποιήματα ἀπολελυμένα* (numeri lege soluti Hor. c. IV 2, 11) opposita *ποιήμασι κατὰ σχέσιν*, vide Christ Metr. pag. 607. — Praeterea durior est supplendi ratio, ubicunque idem verbum, sed alia quadam significatione subintelligitur, velut Tib. I 6⁵³

Attigeris, labentur opes, ut vulnere nostro Sanguis,
labentur est corruent, peribunt, contra quod ex eo suppletur labitur proprie dictum est manat.
Longius repetendum omisit verbum unus Propertius his locis:

IV 5¹¹ Nec speculum strato vidisti, Lygdame, lecto?

Ornabat niveas nullane gemma comas?

At maestam teneris vestem pendere lacertis . . .

ubi infinitivus verbum exigit, unde pendeat. Explendum est igitur „At“ verbo „vidisti“, quod remansit in animo poetae, quamquam interiecto enuntiato aliud verbum finitum tribuerat.

et IV 3¹⁵ Inque sinu carae nixus spectare puellae

Incipiam et titulis oppida capta legam,

Tela fugacis equi et bracati militis arcus

Et subter captos arma sedere duces.

Apparet, „tela“ — „arcus“ — „sedere“ non a propiore verbo „legam“ sed a remotiore „spectare incipiam“ pendere. — In utroque hoc exemplo ab eodem verbo diversae constructiones pendent, cuius brevitatis mutata structura effectae amantissimus est Propertius, velut

III 24⁵ Sed non tam ardoris culpae neque crimina caeli

Quam totiens sanctos non habuisse deos.

cf. III 19³¹, 20¹³, 27³⁶, IV 1²⁵, 4²⁵, 16²¹, V 2¹⁵ al. ex Tibullo cf. II 4¹⁷. Huc non pertinent, qualia inveniuntur Tib. I 2²⁹

Non mihi pigra nocent hibernae frigora noctis

Non mihi, cum multa decedit imber aqua.

et Prop. II 3⁹ Nec me tam facies, quamvis sit candida, cepit

(v. 15) Nec, si qua Arabio lucet bombyce puella.

nam subiectum supplendi verbi (nocet, cepit) in colon secundarium abiit, id quod et in relativis et in coniunctionalibus enuntiatis satis vulgare est. Nonnunquam ex praecedente verbo personali ad sequens colon verbum impersonale supplendum est, velut apud Tibullum

I 3²⁸ — quid mihi prosunt

Illa tua totiens aera repulsa manu,

Quidve, pie dum sacra colis, pureque lavari Te . . .

sc. prodest. Et apud Propertium

IV 11²⁴ Non illi longae tot nocuere morae

(v. 31) Et thalamum Aeaeae flentis fugisse puellae.

IV 10³⁷ Issent Phlegraeo melius tibi funera campo,

Vel tua si socero colla daturus eras.

ubi ex personali „Issent melius“ impersonale verbum „melius erat“ supplendum est cf. Hertzberg. I, pag. 130. —

Singularis quaedam huius generis ratio ea est, ut ex praecedente verbo negativo suppleatur verbum affirmans. Quo genere ne pedestres quidem scriptores abstinuerunt, veluti apud Ciceronem Tusc. V, 40, §. 116 legitur: Nostri graece fere nesciunt nec latine (sc. sciunt). Nec vero graeca similitudine caret haec consuetudo, velut ex verbo vetandi verbum imperandi suppletur II. E 819

οὐ μ' εἶας μάχεσθαι — ἄταρ οὐτάμεν κτλ. Hoc autem non fieri, nisi sequens colon per particulam aut adversativam aut disiunctivam aut negativam cum praegresso coniunctum sit, Hermannus evicit ad Soph. Oed. R. 817. Ex nostris autem poetis satis habeo attulisse, quae huc pertinent:

Cat. 67¹⁵. Non istuc satis est, uno te dicere verbo,

Sed facere, ut quivis sentiat et videat etc.

Ex negativo verbo „non satis est“ depromendum omisit poeta positivum vi necessitatis praeditum.

Ex Propertio non habeo, quae afferam exempla. Quae autem Herzbergius I, pag. 131 sq. in hoc zeugmatis genere numerat, aut corrupta, velut lacunosus ille locus IV 22³⁵⁻³⁸, aut aptius ex sequentibus, quam ex praegressis explicanda sunt, velut V 6⁵³.

Sequitur substantivorum ex praegressis repetendorum usus: quo loco non minus quam in priore particula eorum versuum multitudinem, in quibus substantiva ex vulgari norma facillime supplentur, praetermisi. Pertinent huc ii versus, in quibus subiectum secundariae sententiae ex primaria derivandum est, cum in ea non subiecti, sed obiecti partes egerat, cf. Bernhardy Synt Gr. p. 467, item ii, in quibus enuntiata paratactica eodum subiecto reguntur aut idem obiectum regunt cf. Bernhard. l. l. p. 350, veluti cum apud Catullum toto carmine 69 de puellis hirci osoribus agatur, nihil impedit, quin sive ex primo versu „femina nulla“ vel ex septimo „omnes“ vel ex octavo „bella puella“ depromamus subiectum quo caret ultimus versus „aut admirari desine cur fugiunt“. At in figuris habendum est, cum aut secundarium ex principali aut alterum colon ex altero paratactice posito durius suppletur aut longius repetenda est omissa vox. Haec quidem breviter loquendi ratio ad syllepsin aptissime refertur, contra si non eadam, sed similis vox obversatur poetae animo lectorique est subintellegenda, rem propius ad zeugma accedere contenderim.

Secundariae sententiae subiectum durius suppletur ex genetivo principalis sententiae:

Cat. 17⁸ Vereris inepta crura ponticuli assulis stantis in redivivis.

Ne supinus eat cavaque in palude recumbat.

sc. ponticulus.

Cat. 65²¹ Malum quod miserae oblitae molli sub veste locatum

Dum ad ventu matris prosilit, excutitur.

Prosilit misera (virgo).

Addam ea exempla in quibus substantivi vices pronomine suscipiuntur. Ac primum quidem apud poetas Romanos graeco more solum infinitivum pro accusativo c. inf. saepissime deprehendi non est quod moneam. Talia leguntur:

Cat. 31⁵ Vix mi ipse credens, Thyniam atque Bithynos

Liquisse campos et videre te in tuto.

Cuius generis, ut leviora praeteream, — quale est Prop. II 32³⁸ Testis eris puras, Phoebe, videre manus — haec leguntur: Prop. I 1²³

Tunc ego crediderim vobis et sidera et amnes

Posse Cytaines ducere carminibus.

quo loco dubium non est, quin aliquanto durius ex v. vobis supplendum sit „vos“. cf. Hertzberg I pag. 137. —

Rarius in paratacticis enuntiatis subiectum sequentis sententiae depromitur ex substantivo, cuius in praegressa alius casus exstat. Quod genus quo magis Graecis arrisit, qui vel in pedestri sermone eo saepissime usi sunt, velut apud Platonem, Protag. pag. 320 A. Περιζήεις — καταθέμενος ἐν Ἀρίφρωνος ἐπαιδεύειν καὶ πρὶν ἔξ μῆνας γεγονέναι, ἀπέδωκεν, ubi assumendum est Ἀρίφρων

cf. Thuc. VIII 44, Xen. An. VII 3, 3, Cyrop. VIII 6, 20. vid. Kühner Gr. Gr. II pag. 32 e, Bernh. pag. 467, eo magis mirum est plane displicuisse Catullo et Tibullo. Propertius haec habet:

III 31²⁹ Largius effuso madeat tibi mensa Falerno

Spumet et aurato largius in calice.

III 24¹¹ An contempta tibi Iunonis templa Pelasgae,

Palladis aut oculos ausa negare bonos?

quo loco ex praecedente „tibi“ subiectum omitta voce „es“ admodum dure suppletur.

Ac non solum subiecta sic desunt, sed est ubi alia enuntiati membra ex praecedentibus tacite revocentur, ut apud Propertium

V 11³⁰ Afra Numantinos regna loquuntur avos:

Altera maternos exaequat turba Libones.

sc. Numantinis avis exaequat. Nec dissimilis est locus apud Catull. 97⁸, quem significavisse satis habeo. Sequitur Prop. I 6²¹

Nam tua non aetas unquam cessavit amori,

Semper et armatae cura fuit patriae.

supplendum est ad „cura fuit“: aetati tuae, i. e. tibi ista aetate, cum et priore colo „tua aetas“ „tu ista aetate“ accipiendum sit.

Durius obiectum aut suppletur ex iis, quae praecedunt, aut verbo absolute posito omnino est omissum his locis Propertianis, de quibus Hertzbergius disputavit Quaest. 123 seq.:

I 12⁹ Invidiae fuimus: Num me deus obruit? an quae

Lecta Prometheus dividit herba iugis?

ubi pluralis numerus „fuimus“ obiectum largitur. Conferendi sunt praeterea Propert. III 19³⁴, ubi ad „conferre“, I 10¹¹, ubi ad „concredere“ obiectum ἀπὸ κοινοῦ supplendum est. Tibulli sufficit hosce versus significasse I 6⁵² (didicisse), v. 56 (admittas), I 8⁶ (perdocuit), I 10¹⁵ (servare), v. 17 (pudeat) al.

Monuimus notabiliorem fieri hanc figuram, cum id quod desideratur ex remotioribus repetendum est. Ex Catullo unum exemplum se obtulit:

64¹¹⁰ Sic domito saevom prostravit corpore Theseus

Nequiquam vanis iactantem cornua ventis.

Qui locus quamquam facillime sic explicari posse videatur, ut saevom substantive positum esse dicamus, tamen ex sequenti participio „iactantem“ apparet, non saevum illud monstrum, quod v. 101 poeta nominaverat, h. l. in eius mente haerere, sed ipsum Minotaurum, cuius mentio supra (v. 79) facta erat. — Propertius permulta huiusmodi exempla praebet velut IV 18¹⁷,

Nam quid Medae referam, quo tempore matris

et v. 19 Quidve Clytemnestrae, propter quam etc.

ubi cum Burmanno et Hertzbergio, qui uberius de hoc loco disseruit, poeta censendus est utrumque nomen proprium suspendisse a verbo „crimen“, quod v. 15 praecedat.

I 16¹³ Has inter gravibus cogor deflere querellis

Siquidem non corruptus est locus, fortasse ad „has“ animo supplendum est „noctes“ ex versu nono. cf. tamen quae Hertzberg. de vexatissimo hoc loco attulit.

IV 6⁴³ Quod si contentus patrio bove verteret agros.

Cum in proximo versu de Ulixē egerit poeta, expectamus ad „verteret“ subiectum cogitandum esse Ulixē, at repetendum omisit Propertius subiectum „Paetus“ ex versu 17, ubi Paete posuerat. — Huius similes sunt loci hi:

IV 10³⁵ Tres ubi Pompeio detraxit harena triumphos
Tollet nulla dies hanc tibi, Roma, notam.
Issent Phlegraeo melius tibi funera campo.

Nam alterum tibi non vocativo „Roma“ sed „Pompei“ ex „Pompeio“ (v. 35) expletur.

IV 10⁴⁹ Si mulier patienda fuit? Cape Roma triumphum
Et longum Augusto salva precare diem.
Fugisti tamen in timidi vaga flumina Nili:

Ad „fugisti“ supplendum omisit poeta „mulier“ i. e. Cleopatra. Apud Thucydidem similia inveniuntur, veluti III 62⁵: *ἐπειδὴ γούν ὅτε Μηδὸς ἀπῆλθε καὶ τοὺς νόμους ἔλαβεν* sc. ἰ πόλιν; ut interiectis aliis subiectis prius gravius praevaleat. —

Egimus de eodem substantivo ex praegressis repetendo: sequitur, ut exempla proferamus, in quibus vox *ροομένη* non nisi genere eius similis sit quae praecedat. Ita Catullus

92¹ Lesbia mi dicit semper male nec tacet unquam
De me: Lesbia me dispeream nisi amat.
Quo signo? quia sunt totidem mea:

„mea“ dicit, tanquam in primo versu substantivum posuisset. At non iterum cogitandum est substantivum, sed *ἀπὸ κοινοῦ* supplendum est ex „dicit male“ maledicta. Conferas illud Thucydideum (I 109) *ὅτι τευχίζεται, καὶ ὕψος ἤδη λαμβάνει* sc. τὸ τεῖχος. vid. A. Fr. Aken Gr. Gr. § 310, qui quidem figuram nostram artius circumscripsit.

Cat. 64³² — domum conventu tota frequentat
Thessalia, oppletur laetanti regia coetu;
Dona ferunt prae se, declarant gaudia voltu.

ubi ex „Thessalia“ perquam facile ad praedicatum „ferunt“ Thessali suppletur. — In eodem enuntiato substantivum suppletur ex praecedente verbo.

Cat. 50⁵ Ludebat numero modo hoc modo illoc
Reddens mutua per iocum atque vinum.

Ad „mutua“ intelligi potest carmina, ex eo quod praecedat „ludebat“ cf. Jacoby Anthol. aus d. Eleg. der Römer ad h. l. (I p. 91). Rectius tamen „mutua reddere“ dicemus idem esse, quod „respondere“, collato Prop. I 5³⁰ mutua flere, ut „mutua“ substantivi vim habeat. Ex Propertio huc spectat:

III 32⁷¹ Felix qui viles pomis mercaris amores!
Huic licet ingratae Tityrus ipse canat:

„amores“ *πρὸς τὸ σημαίνον* intelligendum est „puellam amatam“, ut V 5³¹ subiectum cogitandum est „vir amans“, quamquam in praegresso versu „amor“ animi affectum significavit. Nostro loco similis est Thucyd. VI 30¹: *ἄλλως τε καὶ ἀπὸ Πελοποννήσου παρεσμένης ἀφελίας, οἱ, κτλ.*, tanquam *Πελοποννήσιοι* dixisset, cf. Iliad I 383 *αἱ δ' ἐκατόμυλοι εἰσιν, διηκόσιοι δὲ ἐκάστας* . . . , ubi ex adiectivo praecedente „πίλας“ depromendum est, cf. Menge Rep. II 13, 19 g.

Haec notabiliora exempla ex infinito paene eorum numero satis habeo attulisse, neque enumerabo pronomina, quae persaepe ex praegressis supplenda a poetis omitti nemo nescit. Neque adiectiva ex praegressis repetenda in partes voco, cum quae poetae praebent non abhorreant a

vulgari usu, quamquam est ubi dubitari possit, utrum adiectivum semel positum semel an bis cogitandum sit, velut

Cat. 57 Pulcre convenit improbis cinaedis

Mamurrae pathicoque Caesarique.

ubi cum uterque cinaedus vocetur, poeta censendus est utrumque pathicum voluisse dicere cf. Schwabe Quaest. Cat. pag. 189. — Nec minus vulgare est, praepositiones ex praegressis repetendas omitti, velut Cat. 11⁵ Sive in Hyrcanos Arabesve molles, Seu Sacas sagittiferosve Parthos — et unius negationis vi plura membra affici, velut Prop. V 11⁵⁰: Turpior adessu non erit ulla meo, Vel tu, quae tardam movisti fune Cybeben etc.

